









1748.

1. Breithauptus, Christianus: P'is manus . . .  
Francisci Cornei Ponsardi . . . publico academiae . . .  
nomine consecratum interprete . . . Ch. Breithaupt
2. Dommerich, Joan. Christoph: Consensum in facti alieni  
impubertatem verum impubertatis esse fundamentum  
probat atque aevosam suam rationem reddit.
3. Eisehartus, Fr. Fridericus: De lectione corporis juris  
civilis in studio juris non negligenda. . .
4. Eisehart, Franc. Fridericus: De solutio viduarum  
summarum in Germania praesulum protestantium.
- 5<sup>o</sup> Haebelin, Franc. Dominicus: Verendum vetustatis  
monumentum sistens statuta Tuscanensia Latina  
saeculo III in literas redacta . . . in lucem edit.
- 2 Srempt
6. Haebelin, Franciscus Dominicus: De lite inter . . .  
mus Bavaricum et Palatinum super exercitio S. R. I.  
vicariatus Adonani inter utramque domum composita.

7. Zauggero, Christianus Fredericus: De domibus principis  
eminente jure majestatis.
8. Pertsch, Dr. Georg: De origine, usu et auctoritate  
pallii archiepiscopalis. 8vo-X., qua --- lectiones  
per semestre biennium dabendas indicit.
9. Pertsch, Dr. Georg: De commodis, quae e pacificatione  
Westphalica in theologiam redundarunt.
10. Pertsch, Joann. Georg: De jure subvasalli in sub.  
fundo. fundo aperto.
11. Schubert, Carolus Fredericus: An ex l. Julia Augusti  
paena adulterii fuerit. mortis?
12. Seidel, Christophorus Matthias: De loto philosopho  
practico

1749.

1. Eisenhartus, Fr. Fredericus: De eo, qui tristitia renunciavit,  
quo minus quis iudicio se sistat.

2. Eisenhart, Joannes Fredericus : De fidejussoribus datus
3. Eisenhart, Joannes Fredericus : De jure testamenti prodigo non competente
4. Haebertin, Franc. Domin. : De Simonia, ne in foro ecclesiarum fidei naturali quidem licita.
5. Lichtenstein, Joh. Theodor : Observationes de jure Reichs-  
hilico Saxoniae ex documentis Helmstedensibus illustratae
- 5<sup>a</sup> Mendlen, Rudolphus Ludovicus : De vera indole hincerram  
obligationis et acceptationis non numeratae pecuniae.
6. Schubert, Carolus Fredericus : De minori obligatione
7. Schubert, Carolus Fredericus : De justitia transactionis  
testamenti nondum inspectis tabulis ob subleam  
vicesimam deservitatem.
8. Topp, Joen. Conradus Sigismundus : De auxilio legali  
uxori Christianae marito bonis labenti nuptiae vel ante  
concursum creditum vel in qualibet ejus classe secun-  
dum jus commune competente.





3.

1748,8

9

~~286~~

DE

ORIGINE VSV ET AVCTORITATE

PALLII ARCHIEPISCOPALIS

DISSERTATIO QUINTA

QVA SIMVL

LECTIONES PER SEMESTRE HIBERNVM

HABENDAS

INDICIT

IO. GEORG. PERTSCH

ICTVS.



HELMSTADII LITTERIS DRIBORNIANIS

MDCCLXXXVIII

d. 4 Oct.

*Partitio in origine d. cau. v. M. archiepiscopalis*



IN  
ORDINE VSV. ET AUCTORITATE  
PALMII ARCHIEPISCOPI  
DISSERTATIO QUINTA  
DE  
LECTIONIBUS PER GRÆCÆ MÆNEM  
HABITANTIBUS  
JERUSALEM  
IO. GEORG. PERTSCH  
1817



UNIVERSITÄTIS LIBRARIIS BEROLINENSIS  
"MCCXXXVII"





Sto promissis, & vsum Pallii exhibeo. Quæ de huius ornamenti auctoritate prolant passim opiniones, simulac fieri poterit, proferre & sub incudem reuocare, denique Papebrochii disertationem de Pallio, additis meis obseruationibus edere, sicque coronidem huic materiæ imponere constitui.

---

CAP. XI.  
DE VSV PALLII.

§. I.

**P**assim quidem in prioribus capitibus de vfu Pallii nonnulla occurrunt; sed ex instituto ille nunc est ostendendus. Antiquissimum quod in Latina Ecclesia occurrit testimonium, est epistola quaedam SYMMACHI. Hic vbi THEODORO Laureacensi Pallii vsum concessit, scripsit: Vteretur illo secundum morem ecclesie; mox vero addidit: ornatum hunc ad missarum solemnitas pertinere. a) Ita tunc necessarius reputabatur, vt concilium Matisconense I fanciret: Archiepiscopum sine Pallio missas dicere non debere. b) GREGORIUS I innuit: de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus fuisse auditum, quod extra missarum tempus Pallii vsum

a) SYMMACHVS *Epist.* XI, ap. COLETVM *Concil.* Tom. V, Col. 440.

b) *Concil.* Matisconense I, Ao. DLXXXI, *Can.* VI, *Concil.* Tom. VI, Col. 659.

vsu sibi vindicari. a) Intra ecclesiam ad sacra tantum missarum solemnia celebranda illud esse gestandum, scripsit SYAGRIO Augustodunensi, LEANDRO Hispanensi, & MAXIMO Salonitano. b)

§. II.

*Lis inter Roman. Pontif. & Eccles. Rauennat.*

Hunc morem pene vniuersalem fuisse Saeculo VI, vel haec, quae inter Romanam & Rauennatensem ecclesiam intercessit controuersia, satis docet. Vfus erat IOANNES Rauennatensis Pallio, non solum missarum tempore, verum etiam in Litanis solemnibus. Fieri tale scripsit Episcopus Romanus, contra omnium Metropolitanorum consuetudinem. c) Respondit Rauennatensis: Hanc esse antiquam suae ecclesiae praerogatiuam, ac nil hac in re noui a se tentatum fuisse. d) Aegre id tulit Romanus, & vtrum talis mos olim in Rauennatensi ecclesia obtinuerit, inquisiuit. Interim permisit, vt in Litanis quibusdam solemnibus, e) puta

a) GREGORIVS I, *Lib. II, Part. 2, Epist. 54, cit. Tom. Col. 842.*

b) IDEM, *Lib. VII, Epist. 113, 126. & 130, cit. l. Col. 1096. 1108. & 1113.*

c) IDEM, *Lib. II, Part. 2, Epist. 54, cit. l. Col. 842.*

d) IOANNES Rauennat. *in Epist. ad Gregor. inter Gregorian. cit. l. Ep. 55, Col. 844.*

e) Litaniae proprie sunt supplicationes publicae, vbi pro auertendis malis preces fundi & luctus signa varia ratione edi solent. Putauit GREGORIVS I, quod etiam his die-

bus Rauennatensis Episcopus cum Pallii ornatu per plateas in Processione ambularet. Hinc miratus est, quod *cineris atque cilicii tempore*, hoc faceret. GREGORIVS I, *Lib. II, Part. 2, Epist. 54, Concil. Tom. VI, Col. 842.* Sed hic per Litanias aliae intelligi debent festiuitates, vbi cum laudibus, Episcopi cum populo in publicum procedere solent. vid. GREGORIVS I, *Lib. IV, Epist. II, cit. Tom. Col. 885.* CAR. DU FRESNE *Glossar. Latinit. voc. Laudes, Laus & Litania.*

puta, die natali Ioannis Baptistae, Petri Apostoli & Apollinaris martyris, atque in memoria suae ordinationis, Pallio indutus in publicum procedere possit. Voluit de reliquo, vt in secretario susceptis ac dimissis ecclesiae filiis, Pallium indueret, atque ad missarum celebrationem ita proficisceretur, nihilque amplius sibi arrogaret. a) Noluit adquiescere Rauennatensis, hinc denuo scripsit Romanus: Nunquam antea quempiam Pallii ornatum extra ecclesiam gestasse, praeterquam vbi reliquiae fuerint condendae, & vnicum saltem proflare hac de re exemplum. Se vero diacono suo, Constantinopoli agenti, scripsisse: inquireret, vtrum Graeci Episcopi in Litanis cum Pallis ambularent. Hoc vbi de vsu constaret, se Rauennatensis ecclesiae iura imminuere nolle. b) Quum successori Ioannis, MARIANO, Pallium concederet, de vsu eius haec addidit: "Non aliter illo vteretur, nisi in propria suae ciuitatis ecclesia, dimissis iam filiis, procedens ad sacra missarum solemnia celebranda: peractis vero missis, idem in salutorio rursum deponet. Extra ecclesiam vero non amplius illo vteretur, nisi in quatuor Litanis, quas in litteris, ad Ioannem olim datis expressisset." c) Cum vero ne sic quidem aduersus episcopos Rauennatenses, defensores priuilegiorum suae ecclesiae acerrimos, aliquid proficeret, scripsit CASTORIO Rauennae Notario: compelleret Archidiaconum, aliasque antiquitate & grauitate spectabiles personas, super Apollinaris tumulum per sanctissimam Trinitatem & corpus Martyris iurare,

A 3 an

a) GREGORIVS I, *Lib. IV, Epist. 11, cit. l. Col. 885.*

b) IDEM, *ibid. Epist. 15, Col. 881.*

c) IDEM, *ibid. Epist. 54, Col. 926.*

an ante tempora Ioannis, Rauennatenfes Epifcopi in Litaniis, Pallium extra ecclefiam geftauerint? Inquireret etiam in numerum Litaniarum, propterea quod Andreas Epifcopus illas fere quotidianas adferuiffet. a) Rurfus ideo litteras ad Caftorium exarauit, iubens, exquireret ftudiofe, quot antiquitas in ecclefia Rauennatenfi celebratae fuerint Litaniae, ne vlla fuper-effet Epifcopis occasio, transgrediendi priuilegia a fede Romana concessa. b)

§. III.

*Vfus Pallii  
ad loca re-  
strictus, &  
ad certos  
nitus.*

Ex his difcimus: Pallii vsum nonfolum ad certa tempora, fed etiam ad loca reftriktum fuiſſe. Extra ecclefiam, per plateas illud non eſſe geftandum, aperte innuit GREGORIVS. c) Non in qualibet caeremonia, intra ecclefiam peragenda, fed ſaltem in miſſa. d) Firmauit has ſanctiones IOANNES VIII, in concilio Rauennatenſi, hac lege lata: "Quicumque Metropolitanorum per plateas, vel in Litaniis vi Pallio praefumferit, & non tantum in praecipuis feſtiuitatibus & ab Apoſtolica fede indiſtis temporibus, ad miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore: & prout beatus Papa Gregorius ad Ioannem Panormitanum epifcopum & Marianum ſcribit Rauennatem epifcopum, qui graue iugum atque vinculum ceruicis non pro eccleſiaſtica, fed pro quadam ſaeculari dignitate defendit, permiſſa qua abuti-

a) GREGORIVS I, *Lib. V, Epifl.* 33, *cit. l. Col.* 448. *ſeq.*

b) IDEM, *Lib. VII, Epifl.* 77, *cit. l. Col.* 1057. *ſeq.*

c) IDEM, *Lib. II, Part. 2. Epifl.*

54, *Lib. IV, Epifl.* 15, *cit. l. Col.* 842. & 881.

d) IDEM, *Lib. IV. Epifl.* 11. & 54, *cit. l. Col.* 885. & 926,

"tur dignitate careat: quoniam iure priuilegium me-  
 "retur amittere, qui audacter vsurpat illicita." a) Hic  
 vero longius est progressus, nec in omnibus missis,  
 sed saltem in solemnioribus festis, vsum permittere  
 voluit; licet alibi indistincte ad missarum solemniam ita  
 illum concesserit, vt a secretario vsque ad sacrum al-  
 tare, & ab altari vsque ad secretarium, sicuti prisca  
 exstaret palleatorum consuetudo, hoc ornatu induti  
 procederent. b) In ea etiam ante illum opinione ste-  
 tit GREGORIVS III, & vsum ad missarum celebra-  
 tionem indistincte permittit. c) Sed non inepte qui-  
 dam coniciunt, olim id saltem in cathedrali ecclesia  
 licuisse, quum GREGORIVS I satis aperte MARIA-  
 NO Rauennateni scripssisset: "Pallii vsum praeuidi-  
 "mus concedendum, quo non aliter vti te memineris,  
 "nisi in propria tuae ciuitatis ecclesia." d)

§. IV.

Sed in ea etiam fuere sententia Romani Praesu- Salua ca-  
 les: respiciendum esse ad morem cuiusuis ecclesiae: men pecu-  
 vel ad priuilegium quoddam sedis Apostolicae. Ipse liari con-  
 GREGORIVS I, in lite cum Rauennateni Episcopo, suitudine  
 modo ad editionem priuilegii eiusmodi prouocauit; e) cuiusuis ec-  
 modo vt de consuetudine vsus frequentioris, aperta clesiae.  
 producerentur testimonia, voluit, addendo: se nolle  
 imminuere honorem vllius ecclesiae: seruandum esse  
 vsum

- a) Concil. Rauennat. Ao. DCC-  
 LXXVII, Cap. III. Concil. Tom.  
 XI, Col. 302.  
 b) IOANNES VIII, Epist. I, in  
 Adpend. cit. I. Col. 231.  
 c) GREGORIVS III, Epist. I,  
 Concil. Tom. VIII, Col. 201.  
 d) GREGORIVS I, Lib. IV, E-  
 pist. 54, Concil. Tom. VI, Col.  
 926.  
 e) IDEM, Lib. II, Part. 2, Epist.  
 54, Concil. Tom. VI, Col. 842.

vsus antiquum. a) Hinc etiam DONO Messanensi, & IOANNI Syracusano, Pallii vsus illis temporibus & eo ordine concessit, quibus decessores illorum hoc ornamento cincti comparuerint. b) Sic etiam PASCALIS I, quum Viennensi Archiepiscopo Pallium transmisisset, haec addidit: *Vt secundum morem ecclesiae eo vteretur.* c)

§. V.

*Dehinc ad  
certa tem-  
pora Pallii  
vsus fuit  
restrictus.*

Post medium vero Saeculi IX. ad certa tempora vsus Pallii restrictus fuit. Prostat hanc in rem sanctio concilii generalis octauum. Voluere quippe Episcopi tunc Constantinopoli congregati: "Vt quibus concessum esset Pallio vti certis temporibus, in iisdem temporibus & locis illis induantur, & tali & tanto non abutantur amictu propter typhum & inanem gloriam, & humanum placorem, atque sui amorem, omni tempore diuini sacrificii, & omnis alius ecclesiastici mysterii, hunc inepte portantes." Addiderunt deinde: "Continuum Palliorum amictum, fastigiosum & suae gloriae deditum demonstrare episcopum." Voluerunt itaque: "vt omnis episcopus qui praeter definita sibi scripto tempora, se Pallio induerit, aut corrigi, aut a proprio Patriarcha deponi debeat." d) Contra HINC MARVVM Remensem, hanc sanctionem conditam fuisse, perhibet

PVS.

- a) GREGORIUS I, *Lib. IV, Epist. 11 & 15, Lib. V, Epist. 33, Lib. VII, Epist. 77, cit. l. Col. 885, 887, 949 & 1076.*  
b) IDEM, *Lib. V, Epist. 8. & 18, cit. l. Col. 933. & 939.*

- c) PASCALIS I, *Epist. III, Concil. Tom. IX. Col. 594.*  
d) Concil. generale Octauum, seu Constantinop. IV,  *Ao. DCCCLXIX. Can. XXVII, Concil. Tom. X, Col. 650.*



PVS. a) Scribit quippe de Hincmaro **FLODOAR-**  
**DVS:** b) "Venerabilis Praeful Hincmarus, pro suae Observatio  
 de Hincma-  
 ri quori-  
 dianio vsu  
 Pallii.  
 "sanctitatis & scientiae reuerentia, per interuentionem  
 "Lotharii Imperatoris, Pallium ad cotidianum susce-  
 "pit vsum, a quarto Leone Papa, a quo iam aliud ac-  
 "ceperat in designatis sibi solennitatibus debite fruen-  
 "dum. Quem cotidianum Pallii vsum nulli vnquam  
 "Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessu-  
 "rum esse, idem Papa in epistola tunc ad eum directa,  
 "testatur." In dubium vocant nonnulli huius priuile-  
 "gii veritatem vel ideo, quod **NICOLAUS I**, quotidia-  
 "num Pallii vsum improbasset, & ipse **HINCMAVS**  
 "respondisset: vix alio die illud a se gestari, quam die  
 "nati Christi & Paschali: quodque aliis temporibus  
 "quibus eo vti liceret, regni negotia illum a sua eccle-  
 "sia auocarent. Audiamus Nicolaum ipsum: "Scire  
 "re volumus," scribit ad Hincmarum, "nostris auri-  
 "bus intimatum esse, fraternitatem tuam non certis  
 "temporibus & iuxta morem aliis Metropolitanis an-  
 "tistibus definitum, Pallio a sede apostolica concessio  
 "vri. Quod valde displicet, si id a sanctitate tua elat-  
 "re commissum, vt humilitatis oblita, caeteris fratri-  
 "bus suis studeat videri sublimior; quamuis hoc non  
 "ad inanem gloriam vtendum sit, sed ad ornatum  
 "cunctarum virtutum gestandum. Quod bene tem-  
 "pore, quo ipsius Pallii vsum a sede apostolica per-  
 "cepisti, scripto paginac more solito tibi ostensum &  
 "prae-

a) **CHRIST. LVPVS** in *Schol. ad*  
*cit. Can. XXVII. Synod. VIII.*  
*gener. Oper. Tom. III, pag. 314.*

b) **FLODOARDVS** *Hist. Eccl.*  
*Remens. Lib. III, Cap. 10.*

”praeceptum est. Cuius vsus si fraternitati tuae a se-  
 ”de apostolica omni tempore concessus est, licet sit  
 ”praeter ecclesiae consuetudinem perceptus, ac per  
 ”hoc rationaliter amittendus, (nam priuilegium me-  
 ”retur, vt S. Papa Simplicius scribit, amittere, qui  
 ”concessa sibi abutitur potestate,) tamen his nostris  
 ”admonitus competenter affatibus, stude ita mode-  
 ”ste hoc vi vt nec elatio mentis inuadat, nec iactan-  
 ”tia intret, nec vana gloria vulneret, nec modum  
 ”propriae dignitatis excedat, nec temperantia, sine  
 ”qua caeterae virtutes imperfectae consistunt, obli-  
 ”uioni tradatur.” a) Quid ad haec Hincmarus? Re-  
 spondit Pontifici: quod saltem in natali domini & die  
 resurrectionis, si in dioecesi praesens, nec tories quo-  
 ties liceret, sed vix aut nunquam Pallio vteretur. Non  
 ad dignitatem pertinere vsum Pallii, sed esse ge-  
 nium sedis Metropolitanae. Multos esse episcopos,  
 qui Pallio non vterentur. Monstrare quidem hoc  
 amiculum, Metropolin esse Remorum sedem; sed  
 hoc gestantem, non maiorem facere in oculis Dei.  
 Se plane non quaerere vsum Pallii, nisi ordinatio in  
 episcopum illum exigeret. b) Chameleontem hic  
 ex more egisse Hincmarum, fictitium aut per artes  
 obtentum fuisse, immo plane non extitisse tale priuile-  
 gium, clamat LVPVS. c) Verum vix fugillanda est  
 fides Flodoardi, scriptoris Hincmaro coaeui, Canoni-  
 ci

a) NICOLAUS I, *Epist.* LX, &  
 in *Act. Concil. Suesfion.* III, Ao.  
 DCCCLVVI, *Epist.* XII, *Con-  
 cil.* Tom. X, Col. 341.  
 b) HINCMAVS *Epist.* XVI, &  
 in *Epist.* ad *Concil. Suesfion.*

III pertinent. *Epist.* III, *cit.*  
 Tom. Col. 365.

c) LVPVS *cit.* I. & *de Afric. Ec-  
 cl. Rom. Adpell. Cap. X, Oper.*  
 Tom. VIII, pag. 188.

ci Remensis & auctoris sinceri & fidelis. Adferit : quod duo a Pontifice acceperit Pallia. Vnum proinde fuit ordinarium, omnium Metropolitanorum ornamentum, certis saltem diebus ex more Saeculi IX. gestandum; alterum peculiare, ob singularia & praecleara merita illi concessum. Accusatus itaque ab inimicis apud Pontificem elationis ac superbiae; hic putavit, quod Archiepiscopali Pallio ordinario, quotidie vteretur, & ideo statim eum acerbe reprehendit. Recte proinde Hincmarus negavit, quod Archiepiscopale Pallium, contra morem receptum unquam gestasset. a) Legimus de ALEXANDRO II, quod LANFRANCO Cantuariensi duplex Pallium concesserit; vnum ex altari Petri sumtum, quo ad exemplum aliorum Archiepiscoporum statis diebus vteretur; alterum in tesseram sui amoris & benevolentiae. b) Hoc interim probabile est, rumorem de quotidiano Pallii Archiepiscopalis usu, synodum generalem octavam, ad eam, quam antea allegavi sanctionem, permouisse.

§. VI.

Quibus vero diebus in missae celebratione Pallio Pontifices dies quibus Pallio utendum in illius concessione determinantur. uti fas esset, Saeculo potissimum IX Pontifices in ipsa Pallii datione, scriptura ad Praefules missa, determinarunt. c) Plenum sibi hoc aevo vindicarunt arbitrium, vel plures, vel pauciores dies ad usum huius ornamenti destinare. Sic statuit NICOLAUS I, quod

B 2

Pal-

a) RVINARTVS de Pall. Archiep. Cap. XXI.

ensis de Gest. Pontif. Angl. Lib. I.

b) GVILIELMVS Malmesburl-

c) Nicolaus I, cit. l.

Pallio Apostolico in coena Domini illis solis vti liceret, quibus esset a sede apostolica permissum a) HADRIANVS II, vsum ad Missarum duntaxat solemniam his diebus concessit ACTARDO Namnetensi, puta Natiuitatis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, Adsumptionis Virginis Mariae, Nataliis Apostolorum, Natiuitate Ioannis Baptistae, Natali Martini, solemnii die Ecclesiae & Natali ordinationis. Induendum vero in secretario, & exinde ad celebrationem missae prope-  
randum. b) Liberalior fuit LEO VII. vbi GERHARDO Laureacensi Pallium concessit. Permissit enim vsum ad Missarum solemniam in die Natiuitatis Christi, Consecrationis Chriftatis, Resurrectionis Domini, nec non in Natalibus Apostolorum & Ioannis Baptistae: in festis sanctae Dei Genetricis, Stephani protomartyris, Laurentii & illorum Sanctorum, qui corporaliter in Laureacensi ecclesia quiescerent. Porro, in solemnitate Ecclesiae die, & Natalitio die Archiepiscopi: Tandem in Consecratione Episcoporum & Presbyterorum, quando Synodus celebranda, si forte Conuenticulum fuerit neophytorum, ad fidem Christianam exhortatione Praefulis perducendorum. Voluit etiam vt in Secretario se Pallio cingeret, & sic ad altare ad missarum solemniam proficisceretur. c) ALEXANDER II, Archiepiscopo Dalmatiae & Slauoniae haec scripsit: se concedere Pallium ex more, ad Missarum solemniam celebranda, sicut illud eius antecessoribus fuerit permissum, nimirum: in Natali Domini,  
Epi-

a) NICOLAUS I, *Epist.* XXXIX,  
Cap. 7.

b) HADRIANVS II, *Epist.* XI,

*Concil. Tom. X, Col. 412.*

c) LEO VII, *Epist.* II. *Concil.*  
*Tom. XI, Col. 820.*

Epiphania, Coena Domini, Pascha, Pentecoste, in Natali Ioannis Baptistae, & Apostolorum Petri & Pauli, & in quatuor festiuitatibus Mariae, puta natiuitatis, annunciationis, purificationis, adsumtionis, & duobus festis sancti Angeli: Natalitiorum duodecim Apostolorum, Natali S. Gregorii & Sanctorum Sergii & Bahi, festo omnium Sanctorum, Natali ipsius Archiepiscopi, & quoties Ordinationes vel Consecrationes ecclesiarum perageret. a) VRBANVS II tunc, quum BERENGARIUM Aufonensem, Archiepiscopum Tarraconensem constituerat, eum monuit: Vteretur Pallio in Missarum solemnibus, saltem intra ecclesiam, & tantum in praecipuis festiuitatibus, videlicet Natiuitate Domini, Epiphania, Hypapante, Coena Domini, Sabbatho sancto, Resurrectionis prima & secunda feria, Adscensione Domini, Pentecoste, tribus festiuitatibus S. Mariae, S. Michaelis, S. Ioannis Baptistae; in Natalitiis omnium Apostolorum, & eorum Martyrum, quorum pignora in ecclesia condita; in commemoratione omnium Sanctorum, Consecrationibus Ecclesiarum Episcoporum, Clericorum: in annuo Consecrationis Archiepiscopalis die, & in solemnitatibus S. Virginis Theclae, sanctique martyris Fructuosi & sociorum eius. b) Tribus diebus in Natiuitate Domini, in Epiphania, Hypapante, Coena Domini, Sabbatho sancto, tribus diebus in Paschate, in Adscensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus Mariae, S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis, in omnibus Natalitiis Apostolorum, eorumque Martyrum, quo-

B 3 rum

a) ALEXANDER II, *Epiß.* IV, b) VRBANVS II, *Epiß.* VII, *cit. I.*  
*Concil. Tom. XII, Col. 74.* *Col. 710.*

rum pignora in ecclesia quiescerent, diebus porro S. Martini & S. Ildefonsi, festo omnium Sanctorum, Natali etiam S. S. Isidori & Leandri, in solemnitatibus Consecrationis Ecclesiarum & Episcoporum & Clericorum, nec non in annuo Consecrationis Archiepiscopalis die, PASCHALIS II, Pallii usum concessit BERNARDO Toletano. a) Easdem solemnitates LVCIVS II, b) & EVGENIVS III nominarunt, c) ubi iura Primatus Toletani confirmarunt.

§. VII.

Quandoque generaliter ad Missarum solemnia celebranda, Pallia miserunt Pontifices. Sic euecta ab Ottone Imperatore ecclesia Magdeburgensi in sedem Archiepiscopalem, dedit Pontifex Pallium citra, determinationem dierum, ad missas celebrandas. d) Quandoque ad GREGORII I exemplum, ad morem ecclesiae, vt toties eo vterentur, quoties praedecessores in sede, Pallio vsi essent, prouocarunt, quod fecit CLEMENS II. e) Rursus priorum Pontificum ordinationes in mentem reuocarunt, volentes vt non aliter Pallio vterentur Praefules, quam a suis antecessoribus vsus fuerit praescriptus. f) Suo loco, suoque tempore vt Pallium gestarent, alicubi iusserunt, g) vel verbis plane generalibus vsum huius ornamenti confirmarunt.

- a) PASCHALIS II, *Epist.* VII, cit. I. Col. 969.
- b) LVCIVS II, *Epist.* III, cit. I. Col. 1564.
- c) EVGENIVS III, *Epist.* LXXII, cit. I. Col. 1620.
- d) vid. Excerpt. e MSto, ap. COLETVM, *Concil. Tom. XI, Col.*
- e) 914. CLEMENS II, *Epist. ad Ioann. Salernitan. cit. Tom. Col. 1312.*
- f) IOANNES XII, *Epist. ad Dunstan. Cantuariens. cit. I. Col. 823.*
- g) EVGENIVS III, *Epist. X, Concil. Tom. XII, Col. 1584.*



runt. a) Singulare proinde est, quod AGAPETVS II, Colonienſi epiſcopo BRVNONI, fratri Imperatoris OTTONIS, facultatem conceſſerit, toties Pallio vtendi, quoties placeret, nullo dierum habito discrimine. b) Quibusdam eccleſiarum Epiſcopis, admodum reſtriſtus fuerat huius ornamenti vſus, quem poſtea Pontifices ampliarent. Sic legimus de Ottone Bambergeniſi, quod vſum Crucis & Pallii quater in anno habuerit, quem vſum Paſchalis II duplicauerit, quatuor aliis vicibus. c)

§. VIII.

Tandem ad certum feſtiuitatum numerum vſus Pallii reductus fuit. Reſpicitur quidem ad priuilegia cuiuslibet eccleſiae a ſede Apoſtolica conceſſa, ſi in illis certi dies expreſſi; ſi non, ad conſuetudinem communem, ſeu ad ordinem in ſic dicto *Caeremoniali Epiſcoporum* & in *Pontificali Romano* a CLEMENTE VIII reſtituto, praefcriptum. d) Quisnam Pontifex primus hanc introduxerit conſuetudinem? dici nequit. Plerique hi dies enarrantur in diplomate, vi cuius Ao. MCLXXXVI eccleſia Montereſgalenſis ad faſtigium Archiepiſcopalis ſedis euecta fuit. Ibi GVILIELMVS, primus Archiepiſcopus, ita eſt alloquutus: e) „Pallium ad hanc plenitudinem ſcilicet „Pontificalis officii fraternitati tuae de ſedis apoſtolicae liber-

- a) EVGENIVS III, *Epiſt.* LXIX, *cit.* l. Col. 1616.  
 b) BARONIVS *ad Ann.* DCCCC-LIII.  
 c) Vit. Ottonis, *Lib.* I, *Cap.* 10. ap. CANISIUM, *Lect. antiqu.*

- Tom.* III, *Part.* 2, *pag.* 47.  
 d) NIC. de BRALION de *Pallio Cap.* XV.  
 e) ROCHVS PIRRVVS *Sicil. ſacr.* *Tom.* I, *pag.* 459.

„libertate largimur, quo intra ecclesiam tuam, ad  
 „Missarum solemniam celebranda, subscriptis diebus uti  
 „debebis: Natiuitate scilicet Domini, festo S. Stepha-  
 „ni, octaua Natiuitatis dominicae, Epiphaniae Hypo-  
 „panti, dominica in ramis Palmarum, Coena Domi-  
 „ni, Sabbatho sancto, Pascha, & duobus diebus se-  
 „quentibus, Assumptione, Pentecoste, tribus festiui-  
 „tatibus Dei genitricis & Virginis Mariae, Natalicio  
 „S. Ioannis Baptistae, commemoratione omnium  
 „Sanctorum, solemnitatibus omnium Apostolorum,  
 „& praecipuis festis Ecclesiae tuae, Dedicationibus  
 „ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus  
 „Clericorum, & Anniuersario tuae Consecrationis die.,  
 „Pontificale Romanum, a Clemente VIII ceu monui, recognitum, & sic dictum caeremoniale  
 „Episcoporum, eosdem fere dies enumerant, posterius vero ordine paulo diuerso. Sistam ordinem in  
 „Pontificali obseruatum. Hos dies nominat, quo Pallio ornati, Missarum & alia solemniam celebrare possint  
 „Praefules, quibus eo uti concessum: Natiuitatem Domini, festum S. Stephani, festum S. Ioannis Euangelistae.  
 „Circumcisionem & Epiphaniam Domini, dominicam Palmarum, Feriam quintam & Sabbathum maioris hebdomadae,  
 „Pascha cum duobus sequentibus diebus, Dominicam in Albis, Adscensionem Domini,  
 „Pentecostem, festum Corporis Christi quaruor beatae Mariae praecipuas festiuitates,  
 „Assumptionem scilicet, Purificationem, Natiuitatem & Annuntiationem: Natiuitatem S. Ioannis Baptistae, festum omnium Sanctorum, festiuitates Apostolorum, diem  
 „anniuersarium Dedicationis Ecclesiae, vel etiam propriae,



priae, ordinationis Antistitis : Ecclesiarum Dedicatio-  
nes, Ordinationes Clericorum, Consecrationes Epi-  
scoporum & Virginum, quocumque die hae postre-  
mae solemnitates fiant. a)

§. IX.

Praeterea obseruari meretur : In Missis de de-  
functis, nullum esse Pallii vsum, licet hi dies sint so-  
lemnes. b) Sed quum Pontifex se supremum arbi-  
trum & dispensatorem vsus huius ornamenti iactet,  
Innocentius III Patriarchae Constantinopolitanae eccle-  
siae Latino indulgit, vt in sepulturis Imperatorum &  
aliorum Magnatum ac Principum, Pallio vti possit. c)  
Obseruat LVPVS : In his sepulturarum diebus, va-  
rios fuisse ecclesiarum mores, adeoque cuiusuis Prae-  
sulis priuilegium esse inspiciendum. d) Obseruauit  
supra, e) olim Pallii vsum procul dubio ad cathedra-  
lem ecclesiam restrictum fuisse. Placuit vero postea  
Pontificibus, vt sub enunciatione : *propriae ciuitatis  
ecclesiae*, tota prouincia cuiuslibet Praefulis intelligen-  
da sit. f) Sic Episcopus Pallio ornatus, eo per to-  
tam dioecesim, Metropolita per prouinciam, Primas &  
Pa-

a) Caeremon. Episcopor. Lib. I,  
Cap. 16. INNOCENTIVS III,  
Lib. XV, Epist. 57 & 58. Ge-  
sta Innocentii III, pag. 64 &  
102. de BRALION cit. l. RVI-  
NARTVS, de Pallio Archiep.  
Cap. XX. ANDR. du SAVS-  
SAY de myst. Gall. Script. Ri-  
tu IV, Cap. 9, §. 2, pag. 261.  
CHRIST. LVPVS in Schol. ad

Can. XXVII, Synod. gener.  
Oper. Tom. III, pag. 316. fin.  
seq. qui tamen quaedam ad-  
didit, de quibus mox dicam.  
b) RVINARTVS cit. l.  
c) Gest. Innocentii III. pag. 102.  
d) CHRIST. LVPVS. cit. l.  
e) Vid. §. praeced. III.  
f) Vid. C. I X, de Auctor. & Vsu  
Pall.  
C

Patriarcha per omnes prouincias sibi subiectas, libere vti possunt. Extra propriam prouinciam Pallio incedere prohiberetur. a) Sed diuersa fuit iam olim Spaniae Archiepiscoporum consuetudo. Hi, vtpote ob varias necessitates extra suas prouincias degentes, minus congruere suae dignitati arbitrati sunt, citra Pallii ornatum officio sacro fungi. Titubauit tamen de tali consuetudine PETRVS Compostellanus, consultitque INNOCENTIVM III, tunc Pontificem Romanum. Respondit: Hanc consuetudinem corruptelae titulum mereri; indulgit tamen vt in Consecrationibus Episcoporum, & Ordinationibus Clericorum, si dioecesanus annueret, etiam extra prouinciam Pallio vti possit. b) Procul dubio non arrisit hoc rescriptum. Archiepiscopo Compostellano, & ideo denuo illimitatum Pallii vsus extra prouinciam postulauit; quem etiam sine vlla restrictione ad Missas in diebus solemnioribus celebrandas, obtinuit. c) Putat RVINARTVS, d) hanc consuetudinem exinde in Spania inoleuisse, quod barbarorum inuasiones saepe Archiepiscopos ad fugam in aliam prouinciam compulissent. His exsulibus Antistites, in quorum se receperint prouinciam, & Pallii, & aliorum dignitatis insignium vsus, lubenter indulgisse. Frequentes fuisse hos barbarorum excursus, & hinc vnumquemque exulem in qualibet prouincia Pallii vsus libere exercuisse.

§.X.

a) Vid. C. 9. X. de Renunciat.  
b) Vid. C. 5. X. de Auctor. E.  
Vsu Pall.

c) Vid. C. 6. X. eod.  
d) RVINARTVS cit. l.

§. X.

Non possunt Pallio ornati Antistites illo vti in <sup>Continua-</sup> locis prouinciae suae exemptis, quae immediate iuris- <sup>tio.</sup> dictioni Pontificis subsunt. Prostat huius adfert illustris exemplum in Gallia, regnante FRANCISCO I. Tunc enim temporis, Cardinalis LVDOVICVS BVBONIVS, regiae stirpis Princeps, Senonensis ecclesiae Praesul & Abbatiae S. Dionysii administrator, quum aliquando in hac Abbatia commoraretur, Pallio ornatus in maioribus solemnitatibus diuina officia celebravit. Obiecit illi Prior huius monasterii: haec saluo iure Abbatiae fieri non posse, & litteras impetrauit, quibus factus est Cardinalis: Abbatiam hanc, a iurisdictione Archiepiscopi Senonensis immunem esse, nec posse in ea huius ecclesiae Praesulem aut Pallio aut Cruce Archiepiscopali vti, nec quae ipse fecerit aut porro forsan facturus sit, in priuilegiolorum Abbatiae detrimentum vergere debere. a) Constans praeterea, si quae de Spanorum iuribus singularibus adduxi exceperis, fuit praxis, ne Praesules extra suas prouincias Pallio vterentur. Obseruaui in prioribus dissertationibus, GREGORIVM I, apud Imperatorem intercessisse, quo ANASTASIVS Antiochenus, de sede sua pulsus, Romae exsul, Pallio in Missa libere posset vti: b) & quod HADRIANVS II, Pallium ACTARDO sub hac lege concesserit, vt illud nunquam nisi in propria ecclesia, si eam forsan recuperaret, vel in alia, cui incardinaretur, adhiberet. Vacans

C 2

cans

a) ANDR. DUSAVSSAY *de myst. Gall. Script. Ritu IV, Cap. 10, pag. 265. seq.*

b) GREGORIVS I, *Lib. I, Epist. 37. Concil. Tom. VI, Col. 758.*

cans enim tunc fuit Episcopus, Actardus, sine sede ob barbarorum incursiones, Brittonumque oppressiones, huc illuc vagans. a) Nec Vicariis sedis apostolicae vnquam concessum fuit, per vniuersam prouinciam curae illorum demandatam, Pallio vti. b) Hanc vero sibi arrogauit facultatem Pontifex Romanus, vt pro lubitu quandoque dies adsignaret, quibus Pallio ornati diuina celebrare Praesules possent. Inde orta in Pallii vsu pro variis ecclesiis diuersitas. Varia hanc in rem iam in antecedentibus adduxi testimonia. Ad- do adhuc alia, ACTARDO, de quo modo dixi, HADRIANVS II Pallii vsu in festo S. Martini, c) & GREGORIVS VII HENRICO Aquileiensi, in festis S. Vdalrici, Episcopi Augustani, & S. Afrae Martyris, permisit, sed sub hac clausula: quod illi saltem quoad viueret, non loco concessum esset. d) In ecclesia, non extra illam, Pallii ornatum permitti, vidimus, & quod ad Missarum potissimum solemniam vsus sit adstrictus. Putarem tamen quod ex sententia CLEMENTIS III, Praesules in diebus solemnibus, etiam sic dictis Processionibus hoc amiculo induti, adesse possint, dummodo Processio ecclesia non egrederetur. En illius responsum: *Si vero te sacris indutum vestibus, ecclesiam processionaliter vel alio modo exire contigerit, tunc Pallio minime vti debes.* e) In Processione proinde intra ecclesiam, vel ante vel post Missam peragenda, eo vti licitum est.

§. XI.

a) HADRIANVS II, *Epist. VII & XI, Concil. Tom. X. Col. 407. & 412.*

b) RVINARTVS *de Pall. Archiepisc. Cap. XX.*

c) HADRIANVS II, *Epist. VI.*  
d) GREGORIVS VII, *Lib. VI, Epist. 38.*

e) Vid. C. I X. *de Auctor. & Vsu Pall.*

§. XI.

Sic itaque Pallio vtuntur I) in Missae sacrificio. Ita <sup>Quatenus</sup> GREGORIUS I: <sup>Pallio in</sup> *Intra ecclesiam, ad sola missa-* <sup>Missae sa-</sup> *rum solemnna, vsum concessit. a) Non vtitur illo* <sup>cristicio</sup> <sup>vtuntur.</sup> Praeful quando Missam audit, sed vbi illam ipse solemmniter celebrat: Non in omnibus diebus, sed illis, quae vel iure determinati, vel in priuilegiis cuiuslibet ecclesiae designati sunt. b) Ornati Pallio comparent <sup>vsus in</sup> II) vbi <sup>aliis atti-</sup> *Episcopos consecrant. e) III) Clericos ordmant, d)* <sup>bns.</sup> IV.) *Ecclesias dedicant, V) Chrysmata consciunt, e) VI) Concilium conuocant & illi praesident. f) Pontifex ve-* <sup>Pontifici</sup> <sup>vsus libe-</sup> <sup>rior com-</sup> <sup>petit.</sup> ro non solum semper in Missarum solemnna Pallium adhibere, sed & quocunq; loco & tempore velit, eo vti potest. Huius libertatis hanc reddunt rationem: quod adsumtus esset in plenitudinem ecclesiasticae potestatis, quam Pallium ostenderet; Alii vero Praefules non in talem plenitudinem potestatis vniuersalem, sed tantum intra paroeciae suae limites. Ita INNOCENTIUS III. ratiocinatus est. g)

C 3

§. XII.

- a) GREGORIUS I, ap. GRATIANVM in *Can. 6. Dist. 100.*  
 b) Glossa in *Cap. 4. X. de Aucto- & Vsu Pall.*  
 c) GREGORIUS III, *Epist. I. Concil. Tom. VIII, Col. 201.*  
 NICOLAUS I, in *Resp. ad Consult. Bulgar. Cap. LXXIII, Concil. Tom. IX, Col. 1559.*  
*Cap. 28. X. de Elect.*  
 d) IOANNES VIII, *Epist. XCIII, Concil. Tom. XI, Col. 75.* GRE-  
 GORIVS VII, *Lib. XI, Epist. 1. cit. Cap. 28. X. de Elect.*  
 e) GREGORIUS VII, *cit. l. cit. Cap. 28. X. de Elect.*  
 f) Glossa ad *Can. 6, Dist. 100, cit. Cap. 28. X. de Elect. conf. §. praeced. VI.*  
 g) *Gesta Innocentii III, pag. 64. NIC. de BRALION de Pall. Cap. VIII & XV. ANDR. du SAVSSAY de myst. Gall Script. Ritu IV, Cap. 10, pag. 264.*

§. XII.

Praeful qui Pallium impetrauit, vbi ad aliam sedem transfertur, eo in hac noua vti nequit, sed aliud tenetur impetrare. Nec quod reliquit, ab illo qui in eius pristinum locum surrogatur, usurpari potest. a) Nequit vllus Pallium suum alteri commodato dare. b) STIGANDVS Dorobernensis, siue Cantuariensis Archiepiscopus, ideo remotus a dignitate, quod Pallio Roberti, quod sede pulsus Cantuariæ reliquerat, vsus fuerit. c) De diebus vitae iam sub auspiciis Saec. VI. loquutus est SYMMACHVS, vbi Pallium THEODORO Laureacensi concessit. d) Hinc etiam inualuit vt omnis Archiepiscopus & Episcopus qui vsu Pallii gauisus est, cum hoc ornatu sepulturae tradatur. Vbi in propria prouincia aut dioecesi corpus conditur, ornatur cum hoc amiculo eadem ratione ac in viuis eo indutus comparuit; si extra prouinciam sepulturam inuenit, Pallium plicatum sub capite defuncti reponi solet. e)

§. XIII.

*vsus quandoque ad personam restrictus.*

Denuo obseruo: vsus huius ornamenti quandoque saltem personis, non vero locis & ecclesiis, vt successores in dignitate illo frui possent, concessum fuisse.

- a) Glossa ad Cap. 5. X, *de Auct. & Vsu Pall.* Ceremon. Roman. Lib. 1, Sect. 10. ANDR. du SAVSSAY *cit. l. Cap. XI, pag. 269. sq.*  
 b) C. 2. X, *de Auct. & Vsu Pall.*  
 c) Concil. Wintoniense, Ao. MLXX, *Concil. Tom. XII, Col. 181.*  
 d) SYMMACHVS *Epist. XI, Concil. Tom. V, Col. 440.*  
 e) Ceremon. Episcop. *Lib. I, Cap. 16. conf. du SAVSSAY cit. l. Cap. 12, pag. 273 sq. & 277.* vbi varias quidem, sed minus adaequatas rationes huius moris adducit.

fuisse. De ACTARDO & WALONE exempla addu-  
 xi. a) Aliquando vero obtinuisse, vt successores in Quandocumque  
 permissum,  
 vt successores  
 Pallio  
 antecessoris  
 vti fue-  
 runt. dignitate Pallium antecessorum gestarint, in anterioribus dissertationibus obseruavi. Immo paulo post, initium Sac. XIV, CLEMENS V, erecto Cambalien-  
 si Archiepiscopatu sub Tartarorum dominatu, nouo Archiepiscopo Pallium misit, permisitque vt non solum ipse, sed & caeteri successores eo vterentur. Idem IOANNES XXIII, Archiepiscopis Sollanien-  
 sibus indulgit. b) Ad mores forsitan orientalium se his in casibus composuerunt Romani Episcopi. Quod hi antecessorum suorum Pallii libere vti fuerint, aequae ac hoc iam prioribus dissertationibus probatum dedi, quod ablatio Pallii signum fuerit depositionis Praefulum.

§. XIV.

Graeci nunquam ius gestandi Pallium a sede Romana impetrarunt. Accipiunt illud in ordinatione non solum Patriarchae & Archiepiscopi; sed & singularum ecclesiarum Antistites & simplices Episcopi. Vtuntur illo in omnibus fere sacris functionibus, & semper in Missarum celebrationibus. Denotare debet ouem errantem ac perditam, quam bonus Pastor inuenit, humeris imposuit & gregi rursus coadunauit. Sic sub hoc schemate docent: Episcopum omnem esse Pastorem, ouium portatorem & mundissimam ouem. c)

*De vsti  
 Pallii acud  
 Graecor.*

- a) HADRIANVS II, *Epist.* VII & XI, *Concil. Tom. X, Col. 407.*  
 & 412. IOANNES VII, *in Epist. Adpend. Epist. I, Concil. Tom. XI, Col. 231.*  
 b) Vid. RVINARTVS *de Pall.*

- Archiepisc. Cap. XX.*  
 c) Vid. NIC. de BRALION *de Pall. Cap. XVII,* CHRIST. LUPUS *de Afric. Eccl. Rom. Adpell. Cap. XIII, Opp. Tom. VIII, pag. 202.*

Praetereo alia de Graecorum Pallii, vtpote iam in prioribus differtationibus occupata.

Haec fufficiant de vfu Pallii. Quae de auctoritate illius adhuc dicenda sunt, futuro tempore referuo. Nunc quum lectiones per semestre hibernum habendae, sint indicendae, ad Vos mea conuertitur oratio Generosissimi, Nobilissimi atque doctissimi Domini Commilitones. Sciatis proinde, I) me licet ob dignitatem Pro-Rectoris qua nunc sum ornatus, vacantiam a praelectionibus publicis praetendere possim, tamen consilium iniisse, publice Pandectarum instillare doctrinas, ita, vt intra anni spatium omnes libros & titulos absoluam. Legam ab hora IX ad X, vel ad ductum compendii Boehmeriani, vel Heinecciani.

II) Priuata opera destinavi interpretationi Elementorum Iuris ciuilis, ad ductum Institutionum, a B. Heineccio elaboratorum. Interpretabor vtilissimum hunc libellum ab hora XI ad XII.


III) Si iustus auditorum sit numerus, cupidus vt in Iure canonico plus vulgo sapere velit, paratus ero ab hora II ad III. pomeridiana explicationem meorum elementorum Iuris Canonici adornare.

Hoc saltem precor, vt qui me duce proficere cupiunt, a primordio ad finem vsque sedulo adsint, nec vel vnicam horam negligant. Quanto sit talis culpa studii impedimento, intelligent tunc, vbi tandem ad res in foris agendas euocantur. Initium praelectionum dixi diem XXIIIX. huius mensis. P. P. Helmstadii die IV. Octobr. A. R. S. MDCCXLVIII.









Helmstedt, Diss., 1748-49

ULB Halle

005 350 832

3



V078







B.I.G.

Farbkarte #13

1748,8 9

~~286~~

DE  
ORIGINE VSV ET AVCTORITATE  
**PALLII ARCHIEPISCOPALIS**

DISSERTATIO QVINTA

QVA SIMVL

LECTIONES PER SEMESTRE HIBERNVM  
HABENDAS

INDICIT

**IO. GEORG. PERTSCH**  
ICTVS.



---

HELMSTADII LITTERIS DRIBORNIANIS

MDCCLXXXVIII

d. 4 Oct.

